



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 78. Cæsaro - Imperialis Aulici Consilii sententia hac in causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

stratum prospicere coactus, quasdam Sæc. XVIII.
 copias in urbe teneret. A. C. 1716.

§. LXXVIII.

*Cæsareo - Imperialis Aulici Consilii
 sententia hac in caussa.*

Interim crebris utrinque scriptis, cri-
 minationibus mutuis, & variorum
 tribunalium sollicitationibus, & quere-
 lis, atque vindiciis certatum est, &
 quidem Lutherani Senatores, si forte
 miles anferem trucidavit, aut ad pro-
 brosam civis responsionem, convitium
 vel minas regessit, aut pro suis equis
 stramen petiit, vel vitreum orbem aut
 aliud quicquam confregit, aut Luthe-
 ranum ad genuflexionem coram Sa-
 cratissima Eucharistia coegit, tanquam
 horrendas violentias, damna, ac Re-
 ligionis gravamina apud Corpus Evan-
 gelicorum detulerunt: Vicissim vero
 Episcopus, ceterique Catholici de gra-
 vibus Senatus oppressioneibus atque in-
 juriis apud Cæsarem vehementer que-
 rebantur: quocirca Imperatoris aucto-
 ritate Aulico - Imperiale Consilium
 communibus partium sumptibus Ele-
 ctori Palatino & Hasso-Darmstadiensi
 Landgravio commisit, ut inquirerent.
 I. Quis prior ad sumenda arma & ad
 Episcopi Palatium armatis obsidendum

*Fabri l. c.
 t. 29. p. I.
 & seqq.
 Theatr. Eu-
 rop. p. 145.
 & seqq.*

Sæc. XVIII ansam dederit, quisnam contra Religionis pacem Episcopum & Principem injuriis laceraverit, & quid in hoc tumultu contigerit? III. Publico edicto præcipiant, ut omnes, cujuscunque conditionis sint, ab omni hostilitate abstineant, & Cæsareæ hujus Deputationis decisionem quieti præstolentur. III. Prescribant Episcopo, ut armatos ex urbe educat, suosque subditos ab omni tumultu cohibeat. IV. Vicissim Senatus cives suos a minima Episcopi & Catholicorum offensione & molestia coerceat. Pariter Imperator die septima Aprilis Episcopo præcepit, ut armatos avocaret, & captivos si qui sint, libertati redderet, necnon Senatui Urbis portas consignaret, Magistratui vero indicta pecuniarum multa inhibuit, ne sub ullo prætextu ob præterita ullum lædere, aggredi, ei quicquam demere, aut ullam violentiam inferre præsumant, sed via juris utantur, ac demum Cæsarei Deputati utriusque Partis securitati prospiciant. Accepto hoc Cæsaris rescripto Episcopus declaravit, se mox Cæsareum mandatum executurum, quamprimum Cæsarei Deputati Spiram reversuri, & demandato inquisitionis negotio initium daturi essent, simulque & utriusque partis securitati sat prospectum fuisset. Cum ergo præ-

fati Deputati die quarta Julii in PP. Car Sæc. XVIII.
 melitarum Conventu caussam sibi de A. C. 1716.
 mandatam discussissent, præceperunt,
 ut Episcopale edictum, quod Ec-
 clesiis Catholicis, & Episcopali Pa-
 latio affixum erat, a Principis Episcopi
 Ministris, quod vero Urbis & Curiae
 valvis affigebatur, a Deputationis Se-
 cretariis tollatur, & milites die quinta
 ejusdem Mensis urbe excedant, prout *Faber l. c.*
 etiam præfata die omnes armati sonan- *t. 30. p. 300.*
 tibus tubis & tympanis urbem dese-
 ruerunt, reservatis duntaxat pro Pa-
 latii Episcopalis securitate sexaginta
 tribus, qui etiam sequenti die excessere-
 runt. Quamvis ergo Episcopus omnem
 querulandi ansam sustulisset, & Senatus
 ceterique A catholici vicissim ab omni Ca-
 tholicorum & Religionis oppressione ab-
 stinere jussi essent, nihilominus Lu-
 therani mox anno sequenti die quinta
 Maij supplicationem, quæ quotannis
 hac eadem die, & modo per Vorma-
 tiensem Urbis portam a Cathedrali Ec-
 clesia ad Monasterium S. Claræ ab im-
 memorabili tempore processerat, sem-
 per sine ulla contradictione aut impe-
 dimento tam ante quam post pacem
 Westphalicam, ex Senatus mandato in-
 hibuerunt, proin publicum Religionis
 Catholicæ exercitium contra Imperii
 Constitutiones, pacem Religiosam, &

Sæc. XVIII. Cæsaris mandata via facti & præter
A. C. 1716. morem studiose clausa civitatis porta
 interturbarunt. Ut vero Catholici sese
 in antiquissimi sui juris possessione con-
 tra ejusmodi novationem conservarent,
 & ne totum Cathedrale Capitulum, to-
 tus Clerus, Episcopales Ministri, &
 omnes maximo numero congregati Ca-
 tholici ante urbis portam A catholicorum
 ludibrio & cachinis expositi, at-
 que a sua pietatis exercitatione præ-
 pediti consistere cogentur, postquam
 urbis portam aperiri petebant, objecto
 Senatus interdicto, atque arroganti re-
 sponso rejecti, jure licitissimæ defensionis
 januam vi aperuerunt, ac resisten-
 tes excubitores tamdiu retinuerunt,
 donec supplicantium agmen ad delati-
 natam Ecclesiam S. Claræ processisset:
 inde vero tanta plebis consternatio,
 mulierum & imbellium ejulatus & ge-
 mitus, ut non modo pauci ad ædes &
 montes timidi confugerent, sed etiam
 circumvicini pagorum incolæ hoc tu-
 multu excitati, ac rursus contra Cæ-
 sarea interdicta suum Principem hosti-
 liter invadi existimantes, ad arma con-
 volarent, & absdubio pejora prioribus
 attentassent, nisi ab ipso Episcopo, ejus-
 que Ministris arma ponere, tempestive
 jussi fuissent. Hæc omnia ita ab Aca-
 tholicis fuisse attentata, testibus ju-
 ratis

ratis & Cæsareorum Notariorum fide Sæc. XVIII.
 fuere confirmata: nihilominus Spirensis A. C. 1716.
 Senatus publicis literis & libellis Epi-
 scopum & Catholicos de novo & vio-
 lento tumultu in simulavit, & in pro-
 pria causa hac de re testes partium
 studio addictos, & Catholicis infensos,
 necnon etiam pauperes Catholicos a-
 cerbioris vexationis, & expulsionis
 metu adactos allegavit, ut de vi adhi-
 bita, & de ejusmodi supplicatione nun-
 quam per hanc portam deducta contra
 suam conscientiam testarentur, studiose
 tamen Senatus in omnibus hisce scri-
 ptis reticuit, quod prior ipsemet dato
 portam occludendi mandato publicum
 Religionis Catholicæ exercitium tur-
 barit.

§. LXXIX.

*Scriptores Catholici hoc anno demor-
 tui, eorumque opera.*

Pluribus Scriptoribus Ecclesiasticis ob Mezeau vie
 editorum operum præstantiam in- d. Boileau
 clytis hoc anno mors calamum excu- Cim. Mem.
 sit. Hos inter primus occurrit, Jaco- mund. Cerf.
 bus Boileau, qui scripsit Historiam Fla- Bibl. des
 gellantium, de antiquo jure Presbyte- Auth.
 rorum in regimine Ecclesiastico, de a-
 doratione Eucharistiæ, de Sanguine
 Corporis Christi post resurrectionem,
 de